Conſtitutio
ADOLPHI ROMANOR.
REGIS, COMITIS NASSOVII,
in Curia Norinbergensi
Anno MCCXCIII
promulgata,

De inſulis Rheni, & diverſis
aliis Capitulis.

Nunc primùm edita, & commentario illuſtrata, ſtudio

MARQVARDI FREHERI, Conſiliarii Archipalatini.

Specimen LEGVM CVRIATARVM, *quas idem magno numero Reip. (Deo bene juvante) dare deſtinat.*

HEIDELBERGÆ,
Typis GOTTHARDI VOEGELINI.
MDCXI.

BIBLIOTECA NAZ.

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO, LVDOVICO, COMITI IN NASsavv, Sarprücken & Sarvverden, Domino in Lahr, Wiesbaden & Itzstein &c. Domino suo pergratioso.

IAMDIV *in votis habui, Illustrissime Comes, ut insignem animi cultum, & Tibi & Domui tuæ illustrissimæ debitum paratumque, idoneo aliquo pignore possem testari. Tibi quidem, etsi ignotus, privatâ quadam causâ obstrictus, quam mox attingam. Genti verò tuæ (quod primo loco exponam) cum ob eximiam eius dignitatem & præstantiam, tum præcipuè ob non ignotam illam Principum meorum cum tuis majoribus & agnatis coniunctionem, quæ suo quodam jure talem cultum omnino à me exigere vi-*

detur. Habet Nassovia stirps sua, quæ æstimari in illustribus familiis præcipuè solent, decora magna: vetustatem ab aliquot sæculis repetendam, potentiam amplissimæ ditionis, tot Comitatuum, Baronatuum, Dynastiarum, ad Rhenum, Loganam, Saram, Dillam, si veteri Francorum lege æstimamus, justo utiq; Principatui exæquandam. Sed longè maximum eius ornamentum censendum, cum inclyta & præcelsa illa domo Palatina vetus neque uno vinclo constricta necessitudo, jam tum ab ADOLPHO *fortissimo Cæsare deducta. A cuius filio Gerlaco, ex Imagina Limpurgensi genito, ut tu rectâ serie descendis, ramumq; octave ducis; ita è nata eiusdem Machtilde, Rudolfo* II. *Palatino nupta, Adolfus, Rudolfus, & Ruperti, & hos inter Rex eius nominis, & tota ista heroica Palatinorum, quotquot hodie Dei gratiâ florent, progenies uberrimè fruticavit. Quos inter non leviter transmittendus Rupertus Senior, qui inter Gerlaci Nassovii filios, Adolfum & Iohannem, divisionis ineundæ auctor & sequester fuit: & magni in genus maternum affectus testandi ergo, insignis Palatini partem, Leonem (inquam) inter duo cornua variegata*

riegata emicantem, ceu eximium quoddam arctioris coniunctionis & clientelæ pignus, perpetuò gestandum feudi titulo illis concessit. Continuavit illam veterem per connubia fœderationem, duobus post sæculis Iohannes Simmerensis Palatinus, ducta Iohanna Comitissa Nassovica & Sarapontana: per quam Simeria progenies inde in hanc diem (interea etiam Electorali dignitate aucta) propagata est. Novissimè autem Serenissimus Princeps-Elector Fridericus IIII. *Dominus (heu quondam) noster clementissimus, desponsata felicibus auspiciis* W*ilhelmi Nassovii Auraici Principis è Borbonia filiâ, Loysa-Iuliana: quæ ut supra laudes nostras posita est, ita hoc divinum beneficium saltem hoc loco non reticendum, quod per eam largâ sobole domus Electoralis fundatur. Adeo è Nassovio potissimùm sanguine incrementum semper Palatinæ domui accedere, bona fata voluere. Quæ & vicissim Heroidas suas Nassoviis copulando, non ingratam se exhibuit. Quam meritò ob causam quicunque Palatinatui seriò & animitùs addicti sunt, iidem non possunt Nassoviam familiam simul non amare & venerari. Inter quos, utroque respectu, nomen equi-*

dem etiam profiteor meum: memor insuper privatim summæ benignitatis, qua parens tuus olim Albertus Comes laudatæ memoriæ immerentem me afficere dignatus est: quæ ut nunquam, dum vivam & valebo, animo meo elapsura; ita de Te, Comes illustrißime, paternarum non magis ditionum quàm virtutum herede, eandem spem facit & confirmat. Et hæc dum grato pectore subinde revolvo, ecce bona Fortuna insperatò manibus meis obiicit insignem materiam, supra laudati Regis Adolfi in regia Curia (ut id ævum vocabat) dictatam Constitutionem regiam, vetustate nobilem, recuperatione novam, auctoritate augustam, materiâ locupletem, formulâ quoq; pro ævo non inelegantem. Neque hoc sine Nassoviorum Principum beneficio, ut suo loco mox indicabitur. Eam hactenus in deliciis habitam, arctèque custoditam, ut non pici magis suum aurum, nunc sub tui nominis patrocinio in lucem potiùs edere, & Reipublicæ litterariæ communicare in animum induco, brevi Præfatione & Notis leviter aspersam. Scilicet specimen esse volens, & gustum veluti irritare veræ Iurisprudentiæ & Historiæ studiosis, Novellarum illarum seu Extrava-

travagantium, quas à nostris Cæsaribus in eiusmodi Curiatis Comitiis per aliquot sæcula latas, magno numero paratas habeo, & amore patriæ ductus, neq; laborum fugiens, sub CVRIATARVM *inde* LEGVM *titulo (Deo bene juvante) quamprimum extrudere paro: ut appareat neque Germanis suos Iustinianos, Leones, Constantinos, Romanos, bonarum legum sapientissimos conditores defuisse. Favebis interea (non dubito) Comes illustrissime, memoriæ generis tui clarissimæ lampados, octavo gradu avi tui,* ADOLPHI *Regis: quo ut gens tua gloriari præ aliis itidem illustribus multis potest; ita Regnum eiusdem hoc veluti renato, & deinceps immortalitati consecrato, insigni monumento nobilitari & illustrari se non negabit. Quo magis in spem venio, nostrum etiam qualecunque studium, quà in his talibus eruendis, conservandis & exornandis, quà in nomine domoque tua quo licet cultu prosequenda, Tibi pro summa comitate & æquanimitate non improbatum iri. Heidelbergæ Kal. Martii,* MDCXI.

MARQVARDVS FREHERVS.

Digitized by Google

NOS ADOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, recognoſcimus per præſentes, quod nobis Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, in die Beatorum Tiburtii & Valeriani Martyrum, in generali curia apud Nuremberg pro tribunali ſedētibus, ad requiſitionem ſpectabilis viri REINALDI Comitis Gelrenſis, per communem Principum ſententiam eſt obtentum: Quod ſi inſula nata eſt in Rheno vel alio flumine, in comitatu ali-

Digitized by Google

cuius Comitis, qui in ipſo flumine recipit teolonia & conductus, habetque Comitatum eundem, teolonia & conductum ab Imperio in flumine prædicto; eadem inſula potius ſpectat ad Imperium & ad ipſum Comitem, quàm ad aliũ dominum cuius diſtrictus protenditur ad ripã fluminis prelibati.

Secundo ad eiuſdem Comitis inſtantiam eſt obtentum, Quod nulli licitum eſt munitionem erigere de novo in Comitatu alicuius Comitis, niſi petita eius licentia & obtenta. Si autem Comes alicui ædificanti munitionem præſtitit

Digitized by Google

ſtitit patientiam, quouſque ædificaretur munitio, & paſſus eſt dominum eius tamdiu pacificè poſsidere, donec ſecundùm terræ conſuetudinem præſcriberentur alia bona contra Comitem, vel alium quemcunque; quod poſtea non poteſt impeti à Comite ſuper ædificio prælibato.

Tertio fuit obtentum, Si inter aliquos diſcordantes ſuper homicidio aliqua compoſitio intercedat, & à parte quæ injuriam intulit, parti læſæ ſatisfactio impendatur, & compoſitio fiat pro conſanguineis omnibus partis paſſæ inju-

juriam; poſtmodum verò pars injuriam paſſa proponat, Quod non pro omnibus de parte eadem compoſitio intervenit, ſed quibusdam nominatim exceptis; alia parte dicente è contrario, Quod pro omnibus conſanguineis læſæ partis compoſitio facta extitit, & ſatisfactio ſubſecuta: partis hoc affirmantis probatio cum duobus teſtibus (ita quod manus affirmantis ſit tertia) potius ſit admittenda, quàm partis contrarium aſſerentis.

Quarto fuit quæſitum pro ipſo Comite, Si alicuius domini familia in

Digitized by Google

lia in oppido, cuius dominium ſpectat ad ipſum, male tractatur verbis vel factis, utrum Dominus loci vel Scabini ipſius debeant factum huiuſmodi judicare? Et obtentum fuit communi ſententia, Quod potius ſpectat ad Dominum judicium hujusmodi, quàm ad Scabinos prædictos: niſi forſan ipſi cives per libertatem conceſſam ab ipſo Domino vel à ſuis prædeceſſoribus, contrarium doceant.

Quinto ſententialiter eſt obtentum, Quod ſi aliquis obſidet caſtrum in terminis regni Romani,

nisi prius obtinuerit in figura judicij, quod licitè facere illud posset; Nos obsidenti debeamus dare auctoritate Regia in mandatis, ut obsidionem suam dissolvat, et prosequatur suam justitiam coram nobis.

Sexto sententiatũ extitit coram nobis, Quod si debitor dicat, se creditori debitum persolvisse; creditor verò neget; ipsius debitoris, & non creditoris, est super hoc probatio admittenda.

Datum anno Domini, die & loco prædictis; Regni verò nostri anno secundo.

PROLEGOMENON
DE CVRIIS CÆSARVM,
& Legibus Curiatis.

SOLEMNE olim Cæſaribus noſtris, generales conventus Principum edicere, & in liberam aliquam civitatem Imperii convocare, in quibus & de ſumma rei deliberationes ſuſciperentur, & leges ſalubres neceſſariæque conderentur, & judicia ſuper ipſorum Principum ordinumque cauſis controverſis agerentur, & omnia denique communia Reipublicæ negocia cõmuni conſilio tractarentur. Eos conventus CVRIAS ſignanter dixerunt, & Germanicè HOEVE: ut Galli ſuos, *Placita*, & *Parlamenta*, & vernaculè *Sánes*: ut Eccleſiaſtici ſuos, *Synodos*, & *Capitula*, & *Concilia*. Teutonici autem Reges tam in Lombardia & Italia, quam Germania, quos cogebant Principum conventus,

Digitized by Google

tus, *Curias* (uti dictum modo) vocabant, quarum multa in Annalibus, non tantum nostris sed etiam exteris, passim mentio, præsertim sub Fridericis. Atq; adeo optimi quique Cæsares frequentiores curias habuerunt. Ita eleganter Guntherus VIII. Ligurini, de curia Friderici apud Roncalias habita Anno MCLVIII.

Inde per Italicas famosa potentibus urbes
Curia Roncaliis certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges, & publica jura,
Aut ea quæ fisci rationibus applicat usus,
Omnibus in medium strictè servanda ferantur.

In qua etiam nobilis illa Authentica *Habita*, Studiorum fautrix, promulgata fuit. Eiusdē alia Moguntiæ habita fuit Anno MCLXXXIIII. longè celeberrima & planè incomparabilis: ut præter Vrspergensem, & Godefridum monachum S. Pantaleonis, etiam exoticus testis oculatus fidem facit, cui nomen *Guiot de Provins*, referente Falceto, his verbis:

Et de l'Empereor FERRI
Vous puis bien dire, que je vi

Qu'il

Digitized by Google

Qu'il tint vne Cort à Majence:
Ie vos di-je ſans dotance,
Conques ſa pareille ne fit.

Aliam etiam ibidem memorabilem habuit Fridericus II. Anno MCCXXXV. *ubi ferè omnibus Principibus Teutonici regni convenientibus, pax juratur, vetera jura ſtabiliuntur, nova ſtatuuntur, & publicantur &c.* ait idem Godfridus. Cum autem pleni harum curiarum ſint Annales, ut dixi; nulla celebrior fuit illa Caroli IIII. apud Nurembergam anno MCCCLVI. habita, in qua cum de ſumma rerum in Imperio iſto pleraque diſtinctiſſimè ordinata fuerunt, tum de ipſa ratione & forma Curiarum habendarum diſpoſitum, Cap. XXVI. *De Curia Imperiali & ſeſſione*, & Cap. ſeq. *De officio Principum Electorum in ſolemnibus curiis Impp. vel Regum Rom.* Vnde magnam partem tranſtulit in ſuum commentarium de Imperio Romano, Petrus de Andelo lib. II. cap. XV. *De Imperialis curiæ celebratione, & Cæſareæ Maieſtatis ſolemnitate.* Ad quem cum pleraque huc pertinentia non tralaticiè annotaverim, ſufficiat Lectorem iſtuc

Digitized by Google

remittere: dummodò hoc aspergam, *Curiæ* nomen significationis aliàs variæ neque ignotæ, ita proprium hisce Principum comitiis à Cæsare indictis factum, ut Poetæ illorum temporum suos etiam Deorum conventus & concilia cœlitum non aliter vocarent. quod in Alani Insulensis Anticlaudiano sæpiusculè observare licet: ut lib. I.

Gaudet & assentit Naturæ curia, votum
Laudat, & à voto non distant vota sororum.

Et paulo post:

Verba parat solers Prudentia, cuius ab ore
Curia dependet. Et lib. II. ita orditur:
Regia tota silet, expirat murmur, in altum
Cum visu placidos delegat Curia vultus.

Et libro V.

Huius ab imperio cœlestis curia pendet:
Huius ad imperium devota mente paratur.

Hæ igitur Curiæ Cæsarum fuerunt. In quibus quæ rogante Cæsare, & pro tribunali sedente, liberrimis ordine suffragiis in commune ferebantur leges, aut super quæstionibus ex facto ortis sententiæ dicebantur, legis vim & ipsæ

& ipſæ habituræ, & ſimilium deinceps cauſarum fata compoſituræ (ut Imp. Theodoſius loquitur. *L. 3. C. de Legib.*) eas non ineptè CVRIATAS indigitare poſſimus; non eo quidem ſenſu quo olim Curiata apud Romanos Comitia dicebantur, ſed tamen à Curiis nihilominus nomen trahentia. Atq; utinam hoc genus Curiatæ, quarum in tot Curiis per aliquot ſæcula magnum numerum natum eſſe credibile eſt, plures emergerent. non dubitaremus eas eodem loco habere, quo Νεαρὰς illas Cæſarum Orientalium, de quib. recuperatis habet res litteraria quod gratuletur; et quo Extravagantes pauculas Friderici & Henrici, quas Corpori Iuris adiicere, & gloſſis Commentariisq; ampliſſimis illuſtrare dignata eſt ſuperior ætas: mallemus certè etiam dubioſis & controverſis quæſtionibus in foro obortis, deciſionem è talibus petere, quàm è neſcio quibus Conſultoribus & rhapſodis. Sed de his aliàs fuſiùs, cum plures numero de hoc genere (Deo bene juvante) publico dabimus: quarum ſpecimen modò eſſe volo iſtam ADOLPHI optimi Regis. Quam

Digitized by Google

ante omnia fateri & recognoſcere debeo, beneficio Illuſtriſſimi Principis D. Philippi Ludovici Palatini Bavariæq; Ducis, in ipſo Neoburgo ad Danubium mecum benignè communicatam, transmiſſam autem illuc ab Excellentiſſimo illo Principe, Martis alumno, Mauritio Auraico-Naſſovio, è ſecretioribus archeivis depromtã. ita enim exteriùs inſcriptum erat: Aus dem irſten vnd elteſten Regiſterboich / ligende in die Regiſter-cammer vnſers herren des Kaiſers / zu Arnheim / fol. 42. Id quod ſcire etiam Lectoris intereſt, ut de fide & ſinceritate huius monumenti jam ſecurus, norit etiam quibus & quantis Principibus eius conſervati & publicati primam gratiam debeat.

NOTÆ COMMENTARIÆ
In Conſtitutionem Adolphinam.

Apud Nurenberg] Fuiſſe ſtatuo hanc primam Adolphi curiam, cum eſſet creatus Rex Francofurti anno præcedente MCCXCII. die VI. Ianuarii, bellica laude & heroicis virtutibus

tibus clarus, Gerhardo Moguntino Pontifice inprimis favente. Postea per Bullam Carolinam anno MCCCLVI. sancitum fuit, ut vetustus ille mos, primæ curiæ unius cuiusque Regis apud Nurenberg habendæ, perpetuò servaretur.

BB. Tiburtii & Valeriani] qui dies incidit in XIIII. Aprilis.

Pro tribunali] in Carolina Bulla vocatur, *ædificium seu ligneum apparatum Imperialis sive Regiæ sessionis, ubi sederit Imp. vel Rex Roman. cum principibus Electoribus, ad celebrandas solemnes curias, vel feuda conferenda.*

REINALDI *Com. Gelriæ*] Fuit is hoc nomine primus, in ordine octavus Comes Geldriæ, gente & ipse Nassovius: postea beneficio huiusce Regis Adolffi Dux Geldriæ sublimatus, ut lego in Assertione Ducatus Geldriæ à Duce Wilhelmo penultimo edita, fol. F. III. & Heuterus in Tabula genealogica habet: licet alii velint, filium huius demum Reinaldum II. primum Ducem Geldriæ à Ludovico Bavaro anno MCCCXXXIX. creatum.

Digitized by Google

quod ſequitur P. Scriverius vir eruditiſs. & mihi amiciſs. in Notis ad Chronicon Geldriæ H. Aquilii. Sed nihil vetat, utrumque eam dignitatem à Cæſare ſuo accepiſſe credere: neque exemplo res carebat. Obtinuerat paulo ante, anno MCCXC. idem Reinaldus à Rudolpho Cæs. monetam Arnhemii, Ruremundæ, & Harderuici, eodem Aquilio auctore.

communem ſententiam] Principum qui Curiæ interfuerunt, utriuſque ordinis, magno utique numero. Horum ſuffragia & ſententias exquiſivit Cæſar, non comitum conſiſtorianorum, non procerum Palatii, non Azonis aut Irnerii; ſed Prælatorum, Principum, Comitum, Ordinum denique Imperii: et numerato Senatu, quod maiori parti placuiſſe vidit, ſententialiter pronuntiavit, & ſub Bulla aut ſigillo ſuo promulgavit. Pulcerrimum inſtitutum. Et ſi Romani quidquam noſtrum Imperium habet, habet hoc, & optimum quidem. Nam & olim nulla Lex generalis à Principe (bono ſaltem) lata valebat, ſine Senatus-Conſulto. *L. 8. C. de Legib.*

quod

quod & Probum conſtituiſſe inter alia Vopiſcus refert: *Leges quas* PROBVS *ederet, Senatus-conſultis propriis conſecraret.* Eadem mens Friderico optimo Cæſari, in Curia Roncaliana, apud Guntherum: *--Veſtris cupio diſponere cuncta conſiliis.* Et perſeveravit ad nos uſq; mos ille in Imperii Statutis, Decretis, Receſſibus: manebitque (ita vovemus) dum hæc machina.

Inſula in Rheno] Quod non infrequens, jam ab antiquo. Amm. Marcellinus libro XVI. *Alii occupatis inſulis, ſparſis crebrò per flumen Rhenum, ululantes lugubre conviciis Romanos inceſſebant.* Præſertim verò in inferiore Rheno, circa tertium & novum eius cornu, quod Iſalam hodie vocant, quà Geldriam ſecat, nihil frequentius, quàm inundationes, alluviones, inſulæ, alvei mutationes. Ea quærendi Reinaldo cauſa fuit.

conductum] qui & *Ducatus* dicitur, Gallis *guidage* & *conuoy*, ſalvus conductus, vulgò Das geleite. Balbus Catholico: *Ducatus, conductus:*

Digitized by Google

ductus vel guida. Wenceslaus Brack in terminis Iuristarum:

Gleitet, conducit: Ducatus sitque Geleite.

Teolonia] ita scribebatur eo ævo: quomodo in Aurea Caroli Bulla aliquoties, cap. IX. *theolonea in præterito statuta & indicta percipere.*

ab Imperio] Numerantur enim in libris Feudorum inter Regalia, *Flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia quæ vulgo Telonea dicuntur.* Et Gunthero:

Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumq; molendinis, telonia, flumina, pontes.

spectat ad Imperium] ut olim ad publicum. Labeo in L. pen. D. de adquir. rer. dom. *Insula quoq; quæ in publico flumine nata est, publica esse debet.*

ad ripam fluminis] Non placuit igitur Germanis distinctio Iustiniani *in § insula Instit. de rer. divis.* tam operosè explicata Bartolo in tract. *Tiberiados*, & qui illum ex professo

fesso refellit, Ioh. Buteoni Delphinati in lib. *De insulis fluviaticis*.

II.

Munitionem] arcem, castrum, fortalitium, præsidium, propugnaculum, burgum. Vexatissima quæstio apud Doctores, An liceat cuique in suo solo proprio extruere castrum, & an castrum diruptum reædificare? super qua multi multa ad *L. opus novum. D. de operib. publ. & in c. Pisanis. De restitut. spoliat.* Concedunt tamen ferè, si utiliter & bona fide ædificetur; non ad æmulationem, invidiam, periculum aut detrimentum alterius. *Gail. lib.* 11. *obser.* 69. Lex nostra etiam vetat fieri in superioritate alterius, Comitis puta aut Principis, nisi eius licentiâ aut (quæ duo exæquantur) patientiâ.

nisi petita Comitis licentia] In Speculo veteri Suevico est, On des Landrichters vrlaub. cap. 234. Von Vesten bawen/ & cap. seq. qui locus omnino huic consentit. Aliam insuper legem de Burgis ædificandis, à Friderico II. Imp. in Curia apud Moguntiam anno

Google

MCCXXXVI. latam cap. XII. von Bauwen/ editam habemus, quæ in corpore Iuris Saxonici Alberto Regi perperàm adſcribitur, quam ſuo loco ξὺν θεῷ exponemus.

III.

ſuper homicidio compoſitio] Quo nihil olim in omni Germania magis quotidianum fuiſſe, non è Legibus ſolum illis caſcis populorum Teutonicorum manifeſtum eſt, ſed & ipſi Tacito annotatum: *Nec implacabiles inimicitiæ durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum & pecorum numero, recipitq; ſatisfactionem univerſa domus.* Quod & à Romano quodam proconſule Beticæ decretum, ut interfector patri interfecti duo millia perſolveret, ex reſcripto D. Hadriani integro apud Licinium Ruffinum apparet, quod ſummariè laudatur in *L. 4. D. ad leg. Cornel. de ſicar.* Et apud Græcos extat Conſtantini Porphyrogennetæ Imp. Novella περὶ τῶν φονευόντων, ubi liberis & uxori atque propinquis occiſi ex bonis homicidæ pars certa adjudicatur, πρὸς παρηγορίαν αὐτῶν, *ſolatii loco*, ut ibi dicunt interpretes: ſimulque *levandæ feidæ*,

ut Teutonum leges habent, id eſt, tollendæ inimicitiæ, vindictæque redimendæ & avertendæ ergo. Vnde multum referebat, eam compoſitionem accipi factam *pro Conſanguineis omnibus* (ut hîc habetur) *partis læſæ ſeu injuriam paſſæ*. In quo Adolphus credi potius voluit affirmanti cum tertia manu, quàm neganti: tollendarum (ut apparet) rixarum, & pacis fovendæ ſtudio ſummè laudabili.

manus affirmantis tertia] Ipſe met-tertius juratus hoc aſſeverare debet, ut Leges illæ habent, ſelb-dritte. Vbi non tempero mihi quin obiter perſtringam mirabilem an ridiculum particulæ MET uſum: è qua tandem, *Ipſiſſimi* exemplo, *Metiſſimum* natum eſt, quod in Italico moderno remanſit, *Medeſimo*; in Francico contractiùs, *Meſme*; eadem forma qua è Quadrageſima, *Careſme*. Sed de talibus alibi fuſiùs. MANVS autem tertia, quòd per manum corporale jusjurandum præſtetur, ſacroſanctis Evangeliis olim impoſitam, hodie elevatam, aut pectori applicatam.

IIII.

Familia Domini] Comitatus, ſequela, *Gaſindium* Lombardis legibus, quæ vox nobis manſit, Geſinde: Hoffgeſinde/ aulici, curiales, palatini: Hausgeſinde/ familia, ſervitium domeſticum.

Scabini loci] Iudices & aſſeſſores judicii oppidani, velutique pedanei, Statt-oder Undergericht. De origine vocis memini quædam notare in libello *De judiciis Weſtfalicis*.

Libertatem] privilegium, conceſſionem ſingularem.

V.

dare in mandatis] Hæc ſunt illa quibus hodie Camera Imperialis perſtrepit, *Mandata pœnalia ſine clauſula*, *Mandata de non offendendo*, facile impetranda ubi factum eiuſmodi legibus prohibitum, & nullo jure juſtificabile commiſſum eſt, ubi arma moventur, & pax aut utilitas publica laborat: quæ & comminatione Banni aliquando acui & exaſperari ſolent. De quibus Gail. *Lib.* 1. *Obſer.* IIII. XIII. XIX. *&* *in lib. De pace publ.*

ſuam

suam justitiam] suum sive jus, sive prætensionem.

coram Nobis] in tali iterum Curiâ pro more ventilandam & cognoscendam. Id enim eo ævi Principum forum competens & ordinarium. Frisingensis in Friderico lib. II. cap. 9. *Ad curiam Wormatiæ prænominati Duces ambo Henrici, pro Ducatu Norico contendentes venerunt*. Fridericus II. Imp. apud Pet. de Vineis Lib. III. epist. 5. meminit se Henricum Austriæ Ducem ad curias apud *Ravennam*, tum *Moguntiam*, inde *Augustam*, denique *Agamiam* habitas citasse.

V I.

Debitoris probatio] Quæ fieri potest vel per apocham (quam eo ævo barbarè *Apodissam* dicebant, aliàs & *Recauta* & *Desuscepta*) vel per testes. vide *L. solutam 39. D. de solution.* Speculum Saxon. lib. II. Artic. 6. §. 1. *Omne persolutum debitum duobus hominibus, solutionem videntibus & audientibus, debitorem probare necesse est.* ubi Gl. & in Weichbild Artic. 31. *Debitor, si solutionem allegaverit,*

illud mettertius probare tenetur. Addo tertium modum probandæ vel ſolutionis vel factæ remiſſionis, redditam cautionem ſive ſyngrapham, ex *L. 2. & ſeq. D. de pactis.* Qui horum modorum in ſolvendo aliquem non adhibet, imprudenter ſibi conſulet. Quo loco facere non poſſum, quin adſcribam ex Auguſtino narratiunculam (ipſius utiq; fide) libro De curâ pro mortuis gerendâ cap. xi. *Pro certo cum Mediolani eſſemus audivimus, quod cum debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio neſciente à patre jam fuerat perſolutum; cõtriſtari homo graviſſimè cœpit, atq; mirari, quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum feciſſet etiam teſtamentum. Tunc nimis anxio apparuit idem pater eius in ſomnis, & ubi eſſet recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monſtrato, non ſolùm falſi debiti calumniam propulſavit, ſed etiam paternum recepit chirographum; quod pater non receperat, quando eſt perſoluta pecunia.*

Admittenda] atque adeò requirenda.

Poſtquam

Postquam enim actoris intentionem de debito reus confitetur, & exceptione se aliqua munitum asseverat, de ea solùm agi convenit, ut Impp. rescripserunt *in L.* IX. *C. de exceptionib.* & nominatim iidem de solutionis exceptione Aureliano, *in L. ult. C. de solution. Solutionem asseveranti onus probationis incumbit.* & addunt: *Quo facto chirographum condicere potes.* quod convenit cum *L. ult. C. ad exhib.* Quid ergo heic dubii decidebat, aut novi statuebat Adolphus? dicet forte aliquis cum Accursio. qui ad *L. ult. C. in quib. caus. restitut. necess. non est.* ad verbum Quærere, *Sed quomodo*, inquit, *Iustinianus hoc sibi attribuit, cum etiam ante eum idem consequebantur tutores?* et cum unam atque alteram solutionem tentasset, sed quæ minus placere videretur; tandem suaviter subjungit: *Vel secundùm Placentinum, biberat hic Iustinianus, & non recordabatur de illis legibus.* Nos autem meliùs, fieri posse, ut Reinaldus paulo largius adbiberit; Adolphum quidem nihil heic aliud quàm quærenti Reinaldo satisfacere voluisse.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google